Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30296
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

post osculum pacis amica diu colloquia mi-
scens. pater sanctus cum his quatuor stabat, ex-
pectante deorsum multitudine ceterorum.
Novissime salutantes eum predicti viri ex
hoc iam sibi redeundum esse dicebant. Tunc vero
expalluit ille, et circumfusa sibi mesticia
intimum declarans animi dolorem: quid ergo
ait sine me vultis abire? Et illi. Non pos-
sumus adhuc tuo nostroque satisfacere deside-
rio, donec veniat tempus novorum. Dice-
bant autem tempus novorum, quo fruges no-
ve colligerentur: sicut evidenter postmo-
dum probavit eventus, dum in augusto men-
se discessit. Mane ergo frater ille cui hoc osten-
sum fuerat consolatus est ceteros velud iam
imminentem patris obitum formidantes,
et quod viderat et audierat indicavit. Ad-
huc autem hiemps erat.

Eodem tempore altera quoque visio prioris
confirmatio fuit, nisi quod eviden-
tius iam utriusque completa veritas probat,
quam evidenter in utraque quod futurum erat
dominus revelavit. Videbat enim frater quidam, et ecce
parabat vir beatissimus ascendere Ierusalem,
iamque ipso in procinctu itineris erat. Ad quem
venerabilis Odo qui a primis fere annis
strennue satis et laudabiliter conversatus
in monasterio absentium consueverat prepo-
sitorum supplere vices, reverenter accedens,
dicebat se processurum. Cuius visionis sic os-
tensa est veritas, ut predictus vir deo dig-
nus ad celestem Ierusalem ubi vere visio pa-
cis, parantem iam ingredi, et paulo post
secuturum patrem, felici functus legatione preiret.

Sed et abbas
quidam satis ei et loco vicinus et de-
votus animo, paucis diebus ante felicissi-
mum patris huius excessum videbat eum preci-
osissimis ornatum sacerdotalibus indumentis,
et excellenti perfusum gloria, cum ingenti sol-
lempnitate ad altare deduci. Ad cuius in-
troitum ecclesia magna resultans vocibus ex-
clamabat: puer natus est nobis. Vere et-
enim puer ipse erat, mitis et humilis cor-
de, et sicut parvulus accipiens regnum
dei, in cuius merito gratulabunda natali
angelica multitudo, et omnis pariter
sanctorum ecclesia, dum nobis videtur mori, sibi illum
nasci, dum hic consummaretur, ibi incipe-
re, tam sonoris vocibus quam votis paribus
concinens exultabat. Si enim ad unius pe-
nitentiam peccatoris tota illa celestis re-
gio in leticiam suscitatur, que nam illi gau-
dia exhibuisse credenda est per quem tanta
gaudia receperat de tam multorum conver-
sione et penitentia peccatorum? Quis enim va-
leat estimare quantis in seculari habitu
et conversatione manentibus quam plurimis
utriusque sexus ad alias transeuntibus congre-
gationes, per huius fidelis famuli ministe-
rium dedit dominus penitentiam ad salutem?
Aut quis numeret eos qui sub eius cura in
centum .xl. monasteriis per dei benignitatem
ad penitentiam sunt adducti? Nam ex his
solis qui speciales eius filii videbantur
preter eos qui per alia loca fuerant propagati,
iam cursum vite feliciter consummaverant
preter eos qui per alia loca fuerant propagati.
Ea die qua felicissimus pater ex Clareval-
le montem ascendere meruit clariorem, re-
liquit habitantes in ea septingentas fe-
re animas domino servientes. Quid ergo mirum
si gratus curie, si acceptus regi, si exceptus
cum leticia et exultatione creditur, in quo
gratia dei usque adeo vacua non fuit, qui tam fi-
deliter tam efficaciter plus omnibus sui temporis
et multarum retro generationum laboravit,
qui talentum sibi traditum tam copiose
multiplicavit, tanta denique lucra retulit
de negocio. Sed de his hactenus, ne quis
nos arguat eius quam polliciti sumus me-
tas excedere brevitatis.

Sane in monasterio predicti illius abba-
tis qui sic eius natale previderat,
ea nocte qua nobiscum pater sanctus mane pro-
fecturus ultimam fecit, venerabili preposito
eius apparens, valefecit illi et ait: Nove-
ris quia iam migro, nec ultius hic mora-
bor. Quod ut suo ille indicavit abbati, ac-
celerans etiam abbas Claramvallem veniens ipso
die, abbatem sanctum sicut dixerat repperit iam
migrasse.

Proxima autem
nocte postquam sacrum corpus eius sepul-
ture traditum fuerat, quanta sollicitu-
dine adhuc pro filiis gereret pater sanctus et quo-
modo suos quos in mundo dilexerat in
finem quoque diligeret, evidenter osten-
dit. Apparens enim cuidam fratri in multa
gloria et fulgore magno vestis ac vultus,
et desideranti transiens tenere cito pertran-
siens, aiebat quia pro quodam fratre simplici
veni. Audierunt hoc fratres et mirabantur,
sed circa horam diei terciam veritas compba-
ta est visionis. Defunctus est enim quidam
laudabilis admodum simplicitatis frater,
et sicut omnino credibile est animam eius tan-
to duce felicem qui pro eo venire se di-
xerat secum tulit.